



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

## SESSIO VI.

ANNO  
CHRISTI  
1409.

Qua adueniente comparuerunt Anglici, & proposuit episcopus Salberienfis solenniter dicens pro themate; *Institia & iudicium præparatio sedis tuæ*: concludens quod habebat a rege & regno Angliæ potestatem magnam ad omnia necessaria in hoc sacro Concilio rationabiliter tractanda: & postmodum fuit dies assignata pro alia sessione, ad diem Sabbati, quartam mensis Maii proxime futuram.

## SESSIO VII.

Dicta die Sabbati adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis præmissis, quidam doctor Bononiensis Petrus de Anchorano dictus, solenniter respondit ad proposita per ambassiatores dicti Ruperti de Bauaria, licet absentes, & satis expectatos, ostendendo clare, quod proposita per eos erant manifeste friuola & nullius efficaciam, fundendo clare intentionem Concilii, & quod ipsi ambassiatores tendebant ad impedimentum sanctæ vnionis. Et postmodum fuerunt dati per Concilium commissarii & nominati pro examinandis testibus super propositis per procuratorem seu procuratores Concilii, & ad recipiendum instrumenta & probationes, &c. etiam in absentia & contumacia dictorum contendentium. Et ista die, dominus episcopus Ebroicensis celebrauit Missam in maiori ecclesia, in præsentia sacre Synodi: & fuit ordinatum quod aliqui eligerentur pro eundo ad regem Ladislaum, pro mitigando eum, &c. fuitque dies assignata ad diem Veneris proximam, scilicet decimam diem mensis Maii prædicti, pro alia sessione.

## SESSIO VIII.

Qua die adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis, vt supra, dictum est pro parte procuratoris vniuersalis ecclesiæ, & fuit requisitum, quatenus Concilium facrum vellet determinare & sententiare, &c. vnionem duorum collegiorum factam, fuisse & esse legitime factam, & facere vnum collegium, ratificare, approbare & confirmare; conuocationemque sacri Concilii per eos factam, fuisse & esse iuridice & legitime factam in loco ha-

ANNO  
CHRISTI  
1409.

bili, tuto & securo, ipsamque congregationem esse, & representare Concilium vniuersalis ecclesie: ad ipsumque Concilium spectare & pertinere cognitionem, definitionem & decisionem omnimodam causae vnionis ecclesie, & schismatis sedandi, contra duos contententes de papatu, ecclesiam Dei detinentes in schismate notorie, cum omnibus pertinentiis, emergentibus & connexis. Et fuit petatum, si placeret omnibus. Et cum magna pars respondisset, quod placeret, placebat quod ita fieret: duo episcopi quoad primam conclusionem contradixerunt, videlicet Salisberiensis & Ebroicensis, dicentes quod non poterat fieri vnio duorum collegiorum, quamdiu cardinales Benedicti sibi obedirent, prout faciebant, aliis non obedientibus Gregorio XII. sed solum Deo & ecclesie: quia turpis est pars, quae non congruit suo vniuerso. Et ita erat neceffe, quod domini cardinales se subtraherent, vt esset vnio vniformiter obedientium & obedientiarum, & multitudinis credentium esset cor vnum & anima vna. Qui-<sup>AR. 4.</sup> bus auditis, fuerunt multa hinc inde prolocuta. Et tandem procurator praedictus ascendit pulpitem, & requisivit, quod sancta Synodus (attenta pertinacia & contumacia dictorum duorum contententium de papatu in materia schismatis & fidei, & quod notorie ecclesiam Dei detinerent in schismate contra eius voluntatem, & violenter contra eorum iuramenta & vota, ac debitum pastoralis officii, & de eorum manifesta collusionem satis constet) vellet & dignaretur pronuntiare & declarare, a tempore quo constitit eos non habere vel non habuisse voluntatem vniendi ecclesiam per viam iuratam, & pro tanto bono per ecclesiam electam, quemlibet potuisse & debere recedere ab amborum obedientia, nec vltius amplius debere eis obedire. Et petiit si hoc placeret omnibus: & responsum fuit iocose, quod sic, excepto quodam episcopo Anglico, & vno Alemanno: & nihilo minus conclusum fuit vt petebat dictus procurator: & postmodum dominus patriarcha Alexandrinus, cum episcopo Salisberienfi, ascendit cathedram, & infra scriptis pronuntiauit sententiam auctoritate Concilii petitioni conformem; & de omnibus conclusionibus procurator ecclesie petiit fieri instrumentum ad perpetuam rei memo-

riam. Et fuit alia dilatio concessa ad examinandum testes ad octauam diem, sessione ad eandem diem assignata, ad procedendum vltcrius prout de iure.

ANNO  
CHRISTI  
1409.

SESSIO IX.

Die Veneris decima septima prædicti mensis Maii adueniente, celebrata Missa, solennitatibus & ceremoniis seruatis, procurator ecclesiæ ascendit pulpitem, & fecit requiri alta voce per aduocatum, quod subtractio in præcedenti sessione facta declararetur, quoniam aliqui murmurabant. Et fuit de consensu omnium in Concilio existentium pronuntiatum per os domini patriarchæ Alexandrini, licuisse se subtrahere ab obedientia amborum contententium de papatu, a tempore quo, &c.

Item, quod a cunctis Christi fidelibus erat obedientia subtrahenda, & ab omnibus pro subtracta habenda: & ita mandabat Synodus.

Item, reuocata fuerunt sententiæ latæ per contententes contra subtrahentes.

Item ordinatum fuit, quod illi qui erant in Concilio iudices vel coniudices, poterant esse testes contra contententes.

Item, quod commissarii possent articulos declarare.

Item decernit tertiam dilationem ad producendum testes, &c. & ad vltcriora procedendum fore, prout eidem sanctæ Synodo videbitur expedire. Diem Mercurii proximam, quæ erit vigesima tertia mensis Maii, ad quam diem statuit & ordinauit proximam sessionem, prout in quadam scheda ibidem lecta continebatur, cuius tenor sequitur in hunc modum: Sancta & vniuersalis Synodus hic in Christi nomine congregata, declarat, pronuntiat & decernit ex iustis & rationabilibus causis, a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & ab Angelo Corario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contententibus de papatu, & ab ipsorum cuiuslibet obedientia licuisse recedere libere & pure; videlicet a præfato Benedicto ex tempore quo viam cessionis per eum solenniter iuratam realiter persequi, & eam effectualiter adimplere damnabiliter omisit: & a præfato Gregorio ex eo tempore quo viam cessionis per eum solenniter iuratam, voto promissam & fir-

matam,